

## Écrire l'histoire à la Renaissance : les *Historiae Venetae libri XII* de Pietro Bembo

Lucie CLAIRE – Université de Picardie Jules Verne / UR UPJV 4284 TrAme – lucie.claire@u-picardie.fr  
Neolatinlyon 2023 – mercredi 5 juillet 2023

---

**Pietro Bembo, *Histoire de Venise*, livre I, 1-2 (éd. Robert W. Ulery, Jr., Cambridge, Massachusetts/London, Harvard University Press, coll. « The I Tatti Renaissance Library », 2007-2009, 3 vol.) :**

1. Urbis Venetae res annorum quattuor et quadraginta scribere aggredior, non iudicio aut quod ita mihi libuerit, sed quodam quasi fato vel certe casu. Nam cum Andrea Naugerio, cui haec publice cura tradita fuerat, in legatione Gallica vita functo, decemviri a me collegii decreto petiissent, ut, quando is moriens sua scripta comburi iussit, ipse ea in re atque munere patriae meam opem requirenti ne deessem, pudore verecundiaque recusandi ad variam atque multiplicem, quodque vere possum dicere, multo maxime operosam scriptionem me contuli, annos natus sexaginta ; ut, nisi reipublicae exstaret postulatio, merito me homines reprehendant id aetatis ausum tantum onus sustinere ; bella enim plurima propeque continentia atque maxima, cum ab Italiae, Germaniae, Galliae, Hispaniae populis et regibus, tum a Turcarum imperatoribus excitata, vel terra vel mari gesta, sunt scribenda ; quorum quodque iustum totius historiae volumen atque separatum posse conficere, quam uno omnia comprehendere atque contineri, nemo non dixerit. Multa praeterea domi vel senatus consulta, vel leges, vel iudicia illustria, vel novi magistratus, multi hospitio reges liberaliter accepti, multi honores dis immortalibus habiti, multae prodigiorum domi forisque praedictiones, tempestatum ac siderum mirae vicissitudines, huius temporis memoriam exemplis innumerabilibus referserunt ; quae colligere et mandare litteris nec amantis otium animi est, nec minimae industriae.

2. Sed nihil est profecto tam arduum, quin id patriae caritas exsuperet, apud eos viros praesertim qui, praeclara in urbe geniti atque optima in republica educati, suae civitatis temperationem institutaque adamaverunt. Ita qui rebus tot atque tantis complectendis numquam sponte curam et cogitationem adhibuissem – mihi enim post Romanos labores, bonae tandem valetudini, quam penitus amiseram, restituto, paterna in villa fundi Patavini maiorem anni partem requiescenti, satis erat pascere levioribus tractandis artibus animum – voluntate meorum civium perspecta, facile adducor ut nihil mihi refugiendum putem, dum eorum studiis satisfaciam. Ab illorum igitur commentariorum fine quos Marcus Antonius conscripsit exorsus, quo ab fine decemviris placuit ut initium scribendi facerem, continuato rerum filo, historiam ad hoc diei, si vita suppetet, perducam ; tot enim, quot supra dixi, anni inter illius scripta atque hoc tempus intercesserunt. Ac eo sane tempore quo in statu esset, quam haberet faciem respublica, satis est ab illo demonstratum ; quae, bello Ferrariensi confecto foederibusque initis, plus biennium soluta oneribus civitate et pacato imperio est usa.

**Pietro Bembo, *Histoire de Venise*, livre VII, 62 (éd. Robert W. Ulery, Jr., Cambridge, Massachusetts/London, Harvard University Press, coll. « The I Tatti Renaissance Library », 2007-2009, 3 vol.) :**

62. Iis rebus foris administratis, domi claro ac sereno die urbanis in navalibus, dum pulverem ad tormenta exercenda confectum in arculas ligneas operae infarciunt, ictu mallei favilla emicuit. Ea ingentem eius pulveris acervum comprehendit ; disiectisque immani cum fragore ac tonitru terraeque motu eius conclavis in quo asservabatur parietibus et tecto, ut lateres, tegulas, asseres tignaue ipsa longo per aera tractu volantia ignis vis atque impetus in diversa tulerit, fumo et caligine urbem totam puncto temporis integens, civitatem perterrefecit ; senatusque, qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens descendit. Eo igni, et cadentibus passim iis quae sublime ierant fragmentis, ex fabrum collegio quam plurimi magisterque ipse fabrum et honesti homines aliquot interierunt ; habitaque pro ostento res fuit.